



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 62. Fœdus inter Innocentium Papam & Venetos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A. C. 1487.

§. LXI.

*Auxilia contra Turcas Poloniæ Regi  
a Pontifice promissa.*

Efflagitabat hoc anno Casimirus Polo-  
niæ Rex opem ab Innocentio Papa  
adversus Turcas, qui Lithuaniam & Rus-  
siam infestis excursionibus foede vasta-  
bant. Justis precibus flexus Papa sub-  
sidia promisit, dataque epistola omnes  
vicinas Nationes, Polonos, Porussos, Li-  
vones, Germanos & Bohemos, promissa  
noxarum venia, atque æternæ salutis  
spe, hortatus est, ut sacram militiam pro-  
fessi Casimirum Regem pro tuenda Chri-  
stiana religione in hac sacra expeditione  
sequerentur, eos vero, qui, præfato Rege  
in bello contra Turcas existente, indu-  
cias cum Polonia indictas violare, aut  
Pontificis mandatum infringere attempta-  
verint, excommunicatos declaravit.

Raynald. ib.

§. LXII.

*Fœdus inter Innocentium Papam, &  
Venetos.*

Summus Pontifex, ut validiora Casimi-  
ro Regi auxilia subministrari possent,  
ad redintegrandam in Italia pacem inde-  
fessum studium adhibebat. Equidem  
concordia nuper cum Ferdinando Nea-  
polis

Naucler.  
chron. gener.

50.  
Raph. Vo-  
lat. lib. 4.



Sæcul. XV.  
A. C. 1487.

polis Rege sancita parum stabilis erat, ut supra memoravimus: optatior tamen Pontificis voto arrisit successus, dum hoc anno in Mense Februario cum Venetis ad viginti quinque annos solemne foedus percussit. Impliciti tum erant bello cum Sigismundo Archiduce Austriae, jamque inter eos commissum erat praelium, in quo Fridericus Sanseverinas ad flumen Athesim in Venetorum ditione, facta Tridentinorum eruptione caesus occubuit. Pontifex igitur sedandi ejusmodi belli cupidus, Travisinum Episcopum legatum designavit, qui juncta Oratoris a Friderico Imperatore missi opera belantes Principes conciliabat, prospero saepe eventu; quippe mense adhuc Novembri pax utrinque firmata est. Unde ad efficaciora Bajazethis progressibus obfistendi media expeditior Innocentio via aperiebatur, suam quoque junxit operam Fridericus, qui Norimbergæ Principum Electorum comitia cogebat, in quibus de unione & pace Principum Christianorum componenda, & de bello adversus Turcas suscipiendo ageretur. Pontifex etiam Friderico Imperatori, cum ad coercendos Infidelium ausus promptissimum exhiberet animum, indulgit, ut beneficiorum decimas pro erogandis in rem militarem sumptibus Clero suo imponere posset. Verum Imperator extiali

*Surita An-  
nal. lib. 20.  
c. 79.*



tiali bello adversus Hungaros implicitus, Sæcul. XV. A.C. 1487.  
 omni studio nitebatur, ut Austriam sibi  
 a Matthia Rege ereptam recuperaret,  
 unde Pontificis voto potius pia volunta-  
 te, quam effectu respondere poterat; ex  
 quo non parum augebatur timor, ne Ba-  
 jazethes totam Siciliam sibi subjiceret.

§. LXIII.

*Pontificis timor de Turcarum  
 conatibus.*

Sub idem tempus Bucolinus perditissi- Raynald' hoc  
 ann. 1487.  
 n. 6.  
 mus homo Auximum Marchiæ An-  
 conitanæ urbem occupabat, quam ut si-  
 bi affereret, cum Turcis societatem ini-  
 bat. Ea res summo Pontifici maximum  
 incussit terrorem; unde datis ad Ma-  
 gnum Rhodiorum Magistrum literis, nec-  
 non exposita periculi causa rogavit, ut  
 & ipse ad conciliandos Europæ Princi-  
 pes suum quoque studium impenderet,  
 ut tandem Turcæ junctis Christianorum  
 viribus opprimi possent. Nec sane ina-  
 nis erat Papæ metus; quippe Bucoli-  
 nus auxilia a Turcis satis valida præsto-  
 labatur; spondebat enim Bajazethi se  
 unius semestris fluxu universam Mar-  
 chiam Anconitanam Othomannico sub-  
 acturum imperio, si Turcarum decem  
 millia ei mitterentur, ex qua dein Provincia  
 facile ad reliquam Italiæ partem in Ba-  
 jazethis